

4.

DISSERTATIO CHEMICA,
NOVA EXPERIMENTA
NATURAM PARGASITÆ ILLUSTRANTIA
PROPONENS,

C U J U S P A R T E M P R I O R E M
VENIA AMPLISS. ORD. PHILOS. IN IMPER. ACAD. ABOËNSI

PUBLICÆ MODESTE SUBJICIUNT CENSURÆ

Mag. PETRUS ADOLPH. BONSDORFF,
Chemiaæ Docens,

ET

CAROLUS GUSTAVUS BONSDORFF,
Fratres, Wiburgenses.

In Auditorio Philos. die XXV Junii MDCCCVII.

b. a. m. f.

ABOË, Typis FRENCKELLIANIS.

NOVA EXPERIMENTA
NATURAM PARGASITÆ ILLUSTRANTIA.

Proœmium.

Et si recentioribus temporibus Chemia, quatenus in partibus constitutivis corporum inorganicorum investigandis & determinandis versatur, ad excellum jam veritatis perspicuitatisque gradum pervenisse, & quidem ad culmen perfectionis suæ accessisse videatur, attamen haud raro fosfiliū mineraliumque rationem minus recte exhibuerunt, qui eorumdem instituerunt examen & analysin, studii cultores.

Certum quidem est, in natura ipsius corporis examinati interdum querendam esse causam, cur non rectam ejusdem cognitionem acceperint scrutatores, cum nempe inter partes quibus compositum sit, quedam existeret, ad quam a ceteris distincte & parandam & quantitate determinandam usitatæ non suffecerunt methodi, licet præsentia ejus indubiis indicata esset experimentis, & cum inde necessario evenit, ut neque ceteræ accurate segregari & puræ exhiberi possent partes. Inter alias quæ hunc in modum non solum ipsum difficulterunt pensatu, sed etiam in quantitatibus ceterarum partium constituentium determinandis errorum cause fuerunt, substantias, Acidum, quod Fluoricum vocatur, in primis memorandum

dum nobis venit. Si modo obseruemus & inter se comparemus diversas analyses, quas in lapidibus a Mineralogis non-minibus *Topazii*, *Pyenitis* (Germanorum *Stangenstein*), *Pyrophysalithi* (a) insignitis instituerunt celeberrimi nostri ævi Chemici BUCHOLZ, VAUQUELIN, KLAPROTH, HISINGER & BERZELIUS, facile videmus quam sint rationes partium, ex uno eodemque fossili deductæ inter se dispares & discrepantes (b).

Sæpius vero causam cur ad mendosam conclusionem per venerunt, qui minerarum & lapidum perficrati sunt compositionem, in eo consistere autumamus, quod, antequam ad definiendas quantitates singularum partium constitutivarum procederent, non sufficienter curæ sibi habuerint naturam earumdem in antecesum investigandam, i. e. Analysis, ut loqui amant hodierni, Qualitativam non tam diligenter & reætæ perfecerint, uti materiae indoles ac ratio postularet. — Ejusmodi errati exemplum recens putamus nos in sedulo veritatis inveniendæ studio occupatos detexisse, quod cum in lucem jam proferimus, speramus Benevolum Lectorem conatum no-

a) Vidi *Neues Allg. Journal der Chemie* II. p. 15, KLAPROTHS *Beträge zur Chém. Kenntnis der Miner. Körper*, IV. p. 171; *Afhandl. i Fysik, Kemi och Mineralogi*, utg. af HISINGER och BERZELIUS, I. III. & a. I. Omnes quorunque analyses invenies in *Förförfattat att — grundlägga ett rent Vetenskapligt System för Mineralogien* af J. J. BERZELIUS p. 68., & in *Afhandl. i Fysik, Kemi och Mineral.* IV. 238.

b) Horum tamen jam lapidum analysis veritati & naturæ congruentem suscepit & perfecit Celeberrimus BERZELIUS, qui primum eorum & tertium compositione ex ase convenientes ad idem lapidis genus, cui eadem Formula Mineralogica conveniat, restrinxit, secundum vero valde affinem in Systemate proxime saltem illis adposuit. Vid. ejus disquisitionem de *Fluositatibus* in *Afhandl. i Fysik, Kemi & Mineral.* IV. p. 236 & sequ.

nostrum benigne interpretaturum, & nequaquam nobis arrogantiæ versurum.

Circumegit jam annus a tempore, quo dissertatio nostra
 Titulo: TENTAMEN MINERALOGICO-CHEMICUM DE PARGASITE
 inscripta, publici juris facta est. Eodem fere tempore nobis
 narrabatur, Germanum Cl. Doct. CHR. GOTTL. GMELIN Hol-
 miæ ejusdem fossilis scrutinium chemicum instituisse, & haud
 multo post in Aëris Academiæ Scientiarum Svecanæ tractatum
 ejus, analysin sistens Pargasitæ, perlegimus. Quo vero con-
 clusiones hujus analysis facile cum nostris comparare posit
 B. L., proportiones partium lapidis utrinque computatas ex-
 ponamus. Itaque habebunt 100 pondera Pargasitæ

	secundum		& secundum
	Analyſin Nostram		Analyſin Gmelini
Silicæ	— — 42,01	— —	— 51,75
Magnesiæ	— — 18,27	— —	— 18,97
Calcis	— — 14,23	— —	— 10,04
Aluminæ	— — 14,08	— —	— 10,95
Oxiduli Ferri	— — 5,52	— —	— 3,97
Oxidi Mangan.	— — 1,02	— —	— —
Oxidi Metalli non invest.	0,33	— —	— —
Acidi Fluorici & aquæ	3,90	Ignitionis Jactura	— 1,83
defecerunt	— — 2,59	— —	— 2,51
	100,00		100,00

Hinc videmus, quantitates Magnesiæ & oxiduli Ferri ex ambabus analyſibus deductas bene convenire, Silicæ vero, Calcis & Aluminæ portiones adeo dispare, ut alterutri vel utrique nostrum vitio vertendam esse videretur nimiam a ratione vera aberrationem. Quod nullum analysi sua offendit

rit GMELIN Oxidum Manganesii (ne de oxido illo Metalli loquamur, cuius rationem non recte investigare potuimus, utrum compositum corpus eset an simplex, enjusque minimam invenimus portionem) nobis quidem inopinatum fuit, cum nos expressa ejusdem vestigia vidisse putaverimus; re tamen ipsa parvi admodum ponderis ac momenti esse videntur hæ substantiae Metallicæ, quia ab iisdem vix a ne vix quidem depeudeat fossilis formatio. Ulterius Acidum Fluoricum in compositione Pargasitæ nos invenisse confisi fumus. Hujus vero nullam fecit GMELIN mentionem; aciem igitur ejus effugisse videtur, & quidem eam ob rationem, quod forsitan nullum instituit experimentum, quo talis partis ingredientis præsentiae conjecturam capere potuisset. — Ad hanc igitur ambiguitatem explicandam, omnemque quam secum ferre res posit dubitationem tollendam, repetitam investigationem & novam analysin Pargasitæ meditati sumus, eamque jam æquorum Judicium censuræ subjicimus.

Operam nostram primum in eo desiximus, ut proportionem Silicæ accurate statuere possemus; & cum jam in priore fossilis nostri examine (c), ubi acidis hoc directe solvendi periculum fecimus, comperiremus, ex 50-partibus 23 insolutas remansisse, ideoque (nisi forsitan aliqua cum Acido Fluorico abiisset pars, semper tamen parvi ponderis) Silicam ex 100 Lapidis partibus haudquam superare posse 46, qui jam numerus proprius ad nostram accedebat determinationem, quam ad eam GMELINI, probabileque eset, adhuc quidquam ex iis elici posse solubile, quoniam tum ad exactam Alalygin Quantitativen hoc experientio non incubuimus, consilium suscepimus, hujus Fossilis analysin via stricte sic dicta humida & quidem Acidi Sulphurici ope, quod in experimento allato ad solubiles partes secernendas efficacissimum esse videbatur, instituere.

I.

c) Vid *Tentamen nostrum Mineralogico-Chemicum de Pargasite* pag.
7 & 8.

I.

A. Ex granoso Pargasitæ specimine granula perfecte homogenea pellucida mica & plumbagine (^d) perfecte vacua segregimus, eaque minutius contusa Acido Acetico a partibus calcareis adhuc forsitan adhaerentibus liberavimus. Ex pulvere ita depurato 500 libræ docim, sub aqua in mortario Porphyreo assidue conterebantur, usquedum per subtilitatem in aqua natantes particule pulveris, cum illa omnes e mortario continuatim defumi possent. Pulvis, quem sic accepimus, in Temper. + 80° arefactus pondus habebat 302,45 & ignitus 300,50 Libr. Experimento vero cognovimus, 100 partes Pargasitæ in igne carenti 0,61 perdere partes, ideoque ex 500 libris 1,23 volatiles abire; videmus igitur a mortario detritas & pulveri immixtas fuisse 2,33 partes, silicæ proxime puræ.

B. Pulverem jam illum 300,50 libr. in Retortam vitream indidimus, & Acidum Sulphuricum pari aquæ portione dilutum superfundimus. Mixtura tam diu in calore tenebatur, donec omni liquido destillato secca restaret massa, quæ aqua in calore macerabatur, & deinde in aliud vas exhaustebatur. Quia vero ad latera Retortæ aliquantulum pulveris adhaerebat adhuc, globum ejus ferro carenti percidi mus, & sic aptius residuas expedivimus partes. Tum observavimus, vitrum ad latera non nihil, ad faucem vero in ipsoque collo profundius esse corrosum, & cum in eadem Retorta bis Acidum Sulphuricum concentratum prius destillavissemus, & prorsus omnino illæsum remantisset vitrum, pro certo jam habuimus, nihil aliud nisi Acidum Fluoricum e pulvere lapideo expulsum hanc effecisse corrosionem.

C. To-

^d) In Tent. Miner. Chem. de Parg. p. 3 diximus, Molybdeni particulas huic lapidi inclusas inveniri; jam vero constat, has nihil aliud esse quam Plumbaginem s. Graphitam.

C. Totam, quam accepimus mixtionem, assidue quasfata
tam & in calore digestam, in quiete deinde seposuimus. Cla-
rescens post plures dies liquidum transfudimus; nova fervida
aqua, pulverulentam maslam pertractavimus, in digestione ha-
buimus, claramque iterum solutionem separavimus, & hoc
tamdiu operati fumus, quoad omne quod continebatur, disfo-
lendum esset Gypsum. Residuum ulteriorem solutionem detre-
ctans in calore exsiccatum 155, ignitum vero 144 libris æ-
quivalens, partim glebas indaratas continere conspeximus,
quare eas primum in pulverem subtilem redigimus, & totam
maslam in vase Platino ulterius Acido Sulphurico diluto per-
fudimus; Mixturam primum lente evaporavimus & deinde ma-
jori exposuimus calori, quo superfluum exhalareret Acidum. —
Sicciam maslam aqua superfusam in calore digessimus, & eo-
dem modo ac prima vice tractavimus. Omni solubili separa-
to, residuum pulverem adhuc Acido Nitrico & Muriatico
commixtis & aqua dilutis largiter inbuimus, mixturam inspi-
satam aqua superfudimus, & deliquavimus. Solutione Alkali
fixo saturata, parvum valde decidit præcipitatum, quod in
Acido Sulphurico iterum solutum ad reliquam limpidam solu-
tionem addidimus. Quæ nunc in Acido & aqua intacta re-
mansit terra per dimidiam horam ignita, albissima erat Silica,
& 155 libr. pondere efficiebat. Cum quadruplici portione
Subcarbonatis Pottasie colliquefacta, tota quanta solvatur,
& nihil omnino continebat peregrini. Subtractis igitur 2,33
illis partibus a Mortario detritis, in calculationem analyticam
Silicæ assumendæ sunt 152,67 libr.

D. Solutionem valde copiosam Acidi Sulph. & aquæ
ope collectam in minore vase sub temper. + 80 circiter gra-
duum paulatim exhalare fecimus, quoad in sicciam maslam fa-
linam coarctata esset. Sub ipsa evaporatione sepe e liquido
affatim se junxerant Gypsi crystalli, qui, parva in maslam fali-
nam addita aquæ portione, non soluti remanerunt. Solutio
inde

inde separata, bis adhuc inspisata, ulterius demisit Selenite portionculam. Totus quem hic accepimus Sulphas Calcis, a salibus facile solubilibus perfecte liberatus, in calore mitiore arefactus 121,5 libr. efficiebat, ignitus vero æqualis erat 96 libr., ideoque, sive Analytin Cel. BUCHOLZ in Gypso cum aqua coniuncto sive Cel. BERZELII in calce ignita sequamur, 40,10 libris puræ *Calcis* æquiparandus.

E. Quam a Gypso secrevimus solutionem ulterius evaporavimus. Siccum quod formavit fal in vase platineo positum primum igni moderato admovebatur, quamdiu quidam apparenter vapores Acidii excedentis. His vero cestatis vehementiori igni candenti per duas horas exponebatur. Hoc eum in finem fecimus, ut ex Alumina & Oxido Ferri Acid. Sulphuricum expelleremus, eoque modo illa a Sulphate magnesiae separare possemus. Masfa ignita rubescenti-flavo tincta erat colore, & æqualis erat 213,5 libr. Hujus hic observare voluimus pondus, quo infra comparatione facta quantitates partium ingredientium recognoscere possemus. Sub ignitione valde obduruit masfa illa, quare eam pulverare necesarium habuimus, deinde aquam infudimus & in calore digestionis possumus. Claram solutionem separavimus, novam aquam affudimus, & hoc multoties repetivimus, usquedum omne solubile fuerit extractum. Hic vidimus, non nihil adhuc restare Gypsi, quod excedens Acidum sine dubio suspensum tenuerat, quare adhuc multa requirebatur aqua.

F. Pulverulenta in aqua indissolubilis masfa (E) Acidum Muriatico diluto perfundebatur. Sed, ut est ignitæ Aluminæ ratio, major ejusdem pars connubium Acidii recusavit, & oxidum Ferri quoque a solutione cohibuit. Cum Potasfa Caustica igitur in vase argenteo residuum portionem ustulavimus, & masfan non fusam aqua digestinu. Maxima pars Lixivio Alkalino solvebatur, restante pulvere ochraceo. Hic in Acid-

do

do Muriatico dissolutus cum solutione jam supra ejusdem Acidii ope accepta commiscebatur. Subcarbonate Ammoniacæ addito præcipitatum decidit flavescenti fuscum, quod cum Potassa Caustica liquida per aliquod temporis spatium concoquebatur. Mixturam aqua dilutam percolavimus, & solutioni Alkaliniæ quæ traxit, Acid. Muriat. infudimus, donec quæ eveniebat turbatio iterum evanuit. Eodem modo etiam lixivium Alkalimum post ustionem recens acceptum tractavimus. E claris his solutionibus deinde Subcarbonas Ammoniacæ viuum dejicit *Aluminam*, quæ lavata & ignita æqualis erat 33,41 libris.

G. Qui post percolationem solutionis Alkaliniæ relictus erat pulvis ochraceus (*F*) in Aqua Regis solvebatur, & Ammoniaca ad saturationem exæcta addita, cum Benzoate ejusdem Alkali præcipitabatur. Qui dejectus est Benzoas ferricus primum exultus & deinde cum cera ignitus *Oxidulum Ferri* præbuit 10,16 Libr. A solutione residua ebullienti Subcarb. Potassæ fejunxit præcipitatum, quod lavatum & ignitum cinereo-fusco tintum erat colore, & pondere 4,0 libr. efficiebat. Acido Sulph. valde diluto infuso, non solutæ remanserunt *Oxidi Manganiæ* 0,35 libr.; quod solvebatur, erat pura *Magnesia* 5,65 libr. æqualis. Videmus igitur, etiam hujus terræ Sulphatis partem quandam in igne Candenti Acidò Sulph. privatam fuisse.

H. Solutionem ex partibus aqua solubilibus massæ igniter ortam (*E*) ad siccitatem evaporavimus. Parva aquæ portione addita, restabat Gypsum, quod ablutum & siccatum 6,25 libras efficiebat, ideoque 2,06 libr. puræ *Calcis* respondet. Liquido inde separato Acidum Sulphuricum & Potassam admiscuimus & lente exhalare fecimus, quo, si aliquid hic adhuc residuum fuerit Argillæ, Alumine formando se se pateretur hæc terra. Cum vero hoc non eveniret, sed sal tantum

ama-

amarum prismaticum & non nihil Sulphatis Potasæ porrigeret tota solutio, ea aqua iterum soluta ebulliens cum Subcaib. Potasæ præcipitabatur. Pulvis dejctus aqua fervida probe elutus & ignitus puram porrexit *Magnesium* 55,0 libr. æquivalentem.

Hac etiam terra determinata, restat ut pondus illius massæ, quam supra (*E*) post secretionem Gypsi (*D*), igni vehe-
menti residuum sibi exponentes, accepimus, cum partibus ex
illa distincte jam separatis comparemus. Composita erat hæc
massæ ex Alumina, Manganesia, Oxidis Ferri & Manganesi, Sul-
phate Manganisæ & parva Gypsi portione, pondusque habebat
213,5 libr. Aluminæ invenimus 55,41, Magnesia cum Oxi-
do Marg. 4,0 Oxiduli Ferri 10,16, quæ Oxidi respondent
11,52 libr.; Magnesia 55 partes Sulphatem præbent 158,87
partium, & Gypsi igniti ponendæ sunt 4,94 libr. Horum ve-
ro omnium summa æqualis est 212,54 libr., ideoque proxime ad
pondus massæ illius compositæ accedit.

I. Jam tandem nobis examinandum suscepimus liqui-
dum, quod sub evaporatione mixturae pulveris lapidei & A-
cidi Sulphurici (*B*) e retorta in recipientem vitreum, destillatum
erat. In fundo vasis depositam vidimus levem substantiam si-
ne dubio Siliceam, cujus tamen tam exilis erat copia, ut vix
ad lancem exigi posset. E liquore vero, cujus fapor paulu-
lum erat acidulus, Ammonica Cauſt. separavit sedimentum,
quod lavatum & siccatum ponderis erat 0,50 libr. Non per-
fecte simplex hoc videbatur esse, licet, cum tam parvam e-
jus haberemus copiam, id examinare non potuerimus. Quia
tamen vim Acidorum respueret, non dubitavimus quin Silica
maximam ejus partem efficeret. Ad solutionem restantem
porro guttae quædam Muriatis Calcis admixtæ sunt, quæ illam
turbaverunt. Subdit præcipitatum, quod elotum & exsicca-
tum æquale erat 3,33 libris. Per solutionem Barytæ cogno-
vimus hoc nihil Gypsi continere. Acidum Sulphuricum huic

pulveri in vase Platineo infusum vapores mox excitavit acer-
rimos, odore Acidi Muriatici assimili dignoscendos. Cum ve-
ro vitrum cera obductum & scriptura signatum vali ad flam-
mam candæ admoto imponeremus, vehementius expulsi sunt
vapores, & denudatas lineas in vitro ita impresserunt, ut e-
rafa cera evidentissimæ apparerent litteræ scriptæ. Hinc jam
intelligimus, Acidi Fluorici vapores ex retorta expulsos par-
tim in recipientem cum aqua transfisse. Ibi Silex secum ex
pulvere lapideo surreptæ portiunculam demisit Acidum, majo-
rem vero partem solutam continuit, donec Ammoniaca fejun-
tionem efficeret.

Distincte igitur jam per hanc analysin separatae & pro-
portione sua determinatæ erant omnes, quæ fossile nostrum
ingrediuntur, partes, sic dictæ, fixæ; Acidum fluoricum quoque
qualitative erat investigatum, ejusque præsentia extra omnem
dubitacionis aleam polita; Quo vero exacte definitur ejus
etiam quantitas, recurrere necessarium judicavimus ad analy-
sin via siccæ instituendam. Hunc in finem eam instituimus
scrutationem, quam jam & cum ea conjunctam analysin etiam
ceterarum partium, ad priorem recognoscendam conclusionem,
hic repetitam, exhibeamus.

II.

A. 300 libr. eadem cura ac in priore analysi collectæ &
depuratæ, eodem modo in subtilissimum pollinem redactæ &
tandem ignitæ, pondus habebant 500,6 libr. ideoque ex mor-
tario 2,45 libr. surripuerunt. Cum triplice quantitate Subcar-
bonatis Potasæ purissimi in vase platineo per 3 horas ustu-
labantur, quo massa non liquata fuit, sed colorem lucide cœ-
ruleum induxit. Aqua servida large infusa emolliebatur &
solutio Alkalina deliquabatur. Novam tamdiu aquam adsudimus,
& claram solutionem separavimus, quoad omnes extractæ essent
aqua solubiles partes, & Papyrus Fernambuci nulla Alkali
proderet vestigia.

B. Di-

B. Dilutiore liquido valde copioso in vase argenteo per evaporationem in exiguum coactato volumen, totam solutionem Alkalinam cum Subcarbonate Ammoniacæ commisceuimus & in loco moderate calido posuimus. Hoc facto, paulatim se se e solutione fecernebant, quæ in Alkali fixo sub uestione caustico facto solutæ erant, Silice & Aluminium portiones. Cum, post plures jam additum Subcarbonatæ Ammon. & in calore lente peractum evaporationem, nihil amplius separaretur sedimenti, solutionem transcolavimus, & aquam qua præcipitatum illud elotum erat, primum decoctione minutam, ei affudimus.

C. Hoc jam liquidum Alkalinum, in quo Acidum Fluoricum a Potassa ex lapide arreptum, & cum ea conjunctum, necessario quærendum erat, hunc in finem cum Acid. Muriat. commiscebatur, donec aliquatenus excedens esset acor. Hic vidimus, ante saturationem jam non nihil turbidam evasisse solutionem, & cum in calore eam jam saturatam seponeremus, quo fugaretur Acidum carbonicum, stratum ejusdam sedimenti in fundo vasis post diem conspeximus, quod in filtro colligimus & aqua fervida eluimus. Ad liquidum, quod pertransit, fervidum lactum Ammoniacæ causticæ parum supra punctum saturationis admiscimus. Etiam nunc deturbabatur, & defrigescens quidquam adhuc demisit sedimenti.

D. Postquam sedimentum hoc a solutione cito separavimus, hanc mox in lagenam vitream posuimus, & solutione Muriatis Calcis admixta, vas obturamento clausimus, ne ex ære Acidum Carbon. attraheret Ammoniacæ. Non nihil quidem deturbatum est liquidum, & præcipitatum album paulatim subfudit. Clarificatea separabatur solutio, nova infundebatur aqua, tandemque in filtro colligebatur pulvis, qui bene elotus & in calore siccatus tantum 2,75 libr. efficiebat, Acidique Sulphurico probatus naturam Fluatis Calcis luculenter prodidit. — Etiam hac via igitur Acidi Fluorici præsentia erat

comprobata. Parva vero admodum quam accepimus Fluatis quantitas nobis suspicionem injecit, ut forsan jam ante præcipitationem cum Muriate Calcis peractam, sub operatione illa præcursoria, cum nempe liquidum Alkalimum primo Acidō Muriat. saturaremus & deinde ei Ammoniacam admiseremus (C), aliquo modo si paratum fuisset Acidum Fluoricum, utque ideo querendum eset in præcipitatis horum reagentium ope sejunctis. Sedimenta igitur hæc, in quibus nihil praeter Silicam & Aluminum primum suspicati sumus, scrutinationi hunc in modum subjecimus. Quod Acidō Muriat. secretum erat præcipitatum in calore siccatum, pulverem dedit albissimum, tenerimum, cuius pondus erat 14,5 libr. In plures portiones hunc divisimus pulverem, quo ejus naturam variis enuclearemus modis. Parte quadam Acidō Sulph. perfusa, mox odorēm sensimus Acidi Fluorici & in vitro cerato corrosionem valde perluciam vidimus. Alia ejus pars igni carenti in vase Platineo exposita, fusam dedit massam semipellucidam, & supremæ vasis oræ adfixum invenichatur exiguum Fluatis Aluminum sublimatum. Ex comperta jactura ponderis per ignem facta, judicavimus, 14,5 illas pulveris partes, ad 10,75 ignitas reducendas esse. Liquatam massam Acidō Sulphurico perfudimus, & totum Acidum Fluoricum in calore expulimus. Sulphas formatus initio acidus, vi caloris majoris in aqua crystallisationis colliquesiebat, nec nisi in igne rubescenti perfecte fuit neutralis. Deinde in parva aquæ portione facile solutus, saporemque præbens amarum, Sulphatem Magnesiæ sat clare indicavit. Alterum præcipitatum Ammoniaca separatum deinde examinavimus; albus erat pulvis, pond. 3,75 libr. Cum Acidō Sulph. tractatum, mox Acid. Fluoricum evomit, quo vi caloris expulso, sal remansit difficile solubilis, qui omnia criteria Gypsi commonistravit. Observandum quoque est, quod sub Sulphatum horum e Fluatis acceptorum in aqua solutione separati esent Silicæ quidam flocci, quos secum in solutione Alkalina tamdiu retinuerat Acid. Fluoricum.

Sic